



**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. Cum quatuor concurrant ad Eucharistiam, scilicet, Verba
consecrationis, Species panis & vini, Corpus Christi, & eius Su[m]ptio:
quidnam ex his propriè sit Sacrame[n]tum Eucharisitiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

DVBIUM.

Cum quatuor concurrant ad Eucharistiam, scilicet, Verba consecrationis, Species panis & vini, Corpus Christi, & eius Sumpcio: quidnam ex his propriè sit Sacramentum Eucharistia?

Hereticus huius temporis volunt Sacramentum Eucharistiæ propriè consistere in actione, sicut Sacramentum Baptismi: & nihil esse aliud, quam ipsam sumptionem panis & vini: tunc enim solum ibi esse corpus Domini, siue realiter, vt volunt Lutherani; siue tanquam in signo, vt Caluista. Ratio illorum est: tum quia reliqua Sacramenta in usu consistunt; tum quia Christus instituit hoc Sacramentum, tanquam cibum spiritalem, dicens: *Accipite, & comedite*: ergo non est Sacramentum, nisi comedatur.

Respondeo & Dico Primò, Fide tenendum est Sacramentum Eucharistiæ non consistere in ipsa sumptione; sed esse rem permanentem, quæ existat etiam ante sumptionem. Definuit in Concilio Tridentino, sess. 13. can. 4. *Si quis dixerit, per acta consecrationis in admirabili Eucharistia Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini, sed tantum in usu dum sumitur, non ante vel post, anathema sit.* Similia habet can. 7. Idem docet eadem sess. cap. 3. & 6.

Probatur Primò, Quia Sacramentum Eucharistiæ conficitur consecratione per verba Christi: sed consecratio ista præcedit sumptionem: verba enim consecrationis sunt, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*; quæ verba sine dubio Dominus protulit antequam Discipuli Eucharistiam sumerent: non enim omnes simul sumperunt, sed alij post alios: ergo ante sumptionem est ibi corpus Domini. Confirmatur: quia alioqui verba Christi falsa essent.

Respondent hæretici illa verba *Hoc est corpus meum*, significare, non quòd tunc ibi sit corpus Christi Sacramentaliter; sed quòd ibi erit, nempe cum manducabitur; esse enim verba promissoria, quibus promittit Christus se ibi futurum, cum mandatum manducationis impleuerimus.

Sed contra. Primò, Quia hæc verba, *Hoc est corpus meum*, nullam significant promissionem, sed rem præsentem; promissio enim est rei futuræ, non præsentis: vnde debuisset dicere *Hoc erit corpus meum*, non autem *hoc est*. Secundò, Quia Christus præcepit manducari panem benedictum, quia est corpus ipsius; vt aperte Euangelista testantur, cum dicunt Dominum dixisse, *Accipite & manducate, Hoc est enim corpus meum*: ergo prius est corpus Christi, quam manducetur; vt patet ex simili locutione, *Accipe & manduca, Hoc est enim factuarum*: ergo vt sit corpus Christi, non supponit manducationem, (vt volunt hæretici; sicut impletio promissionis supponit impletionem præcepti:) sed ipsum corpus Christi & Eucharistia supponitur manducationi.

Probatur Secundò, Si consisteret Eucharistia in manducatione, esset opus ipsius suscipientis, non autem Dei, vel ministri: nam manducatio est solum opus manducantis; & ita suscipiens conficeret Eucharistiam, non autem minister. Item Diaconi possent illam conficere, quia in absentia Presbyterorum possunt eam porrigere, vt patet ex Can. 14. Synodi Nicænæ.

Probatur Tertio, Verba Sacramentalia, quibus conficitur Eucharistia, non dicuntur à manducante, neque ad manducantem, sed tantum à ministro super panem, & vinum: ergo nullo modo consistit hoc Sacramentum in actione manducantis. Confirmatur, Quia verba Sacramentalia reliquorum Sacramentorum, quæ consistunt in usu, non referuntur ad materiam, sed ad ipsam suscipientem, vt *Ego te baptizo, confirmo, absoluo, &c.* ergo è contrario, cum verba huius Sacramenti non referantur ad suscipientem, sed ad nudam materiam consecrandam, manifestum est hoc Sacramentum non consistere in usu, sed esse rem permanentem; scilicet materiam consecratam.

Hinc patet responsio ad prius argumentum hæreticorum: hoc enim peculiare est huic Sacramento, vt sit res permanens; quia consistit in consecratione materie.

Ad alterum, Respondeo: Aliud est substantia, aliud est finis Sacramenti: etsi ergo hoc Sacramentum institutum sit ad usum, & manducationem tanquam ad finem, non tamen in eo consistit eius substantia. Quod patet à simili in cibis corporalibus, & in omnibus rebus artificialibus; quibus Sacramenta sunt similia: Nam Panis est panis, & vestis est vestis, etsi eis nõ vtamur: non enim hæc per usum nostrum talia fiunt, sed talia esse supponuntur.

Ex his vterius patet, ipsam sumptionem Eucharistiæ, non solum non esse Sacramentum Eucharistiæ, sed ne Sacramentum quidem: quod est contra Gabrielem. Et ratio est, quia sumptio nihil est aliud, quam applicatio seu usus Sacramenti; iam autè existit: & quamuis manducatio Eucharistiæ significet efficaciter refectionem spiritalem, non tamen significat hanc per se, sed quatenus est applicatio Eucharistiæ; ac proinde ratio ipsius Eucharistiæ, non autem quatenus est actio nostra. Vnde etiam non est aliter causa gratiæ, quam vt conditio sine qua non: quia non per se est causa gratiæ, sed ratio eius, quod applicatur. Secus est in alijs Sacramentis, quorum essentia consistit, non in re, quæ applicatur; sed in applicatione & contactu eius, sub certa verborum forma perfectò: vnde in his applicatio Sacramenti non distinguitur ab eius essentia; quia contactus, seu applicatio rei, non applicatur per aliam applicationem; nec usus rei, per alium usum, ne in infinitum fiat progressio.

Dico Secundò, Verba quoque consecrationis, & materia consecranda, non sunt Sacramentum Eucharistiæ; imò ne Sacramentum quidem. Probatur prior pars: Quia verba consecrationis, & materia consecranda transeunt, Sacramentum autem Eucharistiæ manet. Altera pars, quòd ne Sacramentum quidem sint: Probatur; Quia verba consecrationis non sanctificant hominem, sed solum conficiunt Sacramentum, quod sanctificat: Non ergo ipsa sunt Sacramentum, sed causa efficiens Sacramenti. Consecratio quoque non est Sacramentum, sed via ad Sacramentum; vt rectè Scotus: est enim illa actio, qua producitur Sacramentum: sicut creatio est actio, qua producitur creatura.

Dices; Concilium Florentinum dicit Panem & vinum esse materiam huius Sacramenti: verba consecrationis, esse formam: ergo Sacramentum hæc duobus constat.

Respondeo

2
Lutherani
& Caluista.

De fide est
Eucharistiæ non
consistere
in sumptione,
sed in re
permanente.

Trident.

1. Ratio.

Responsio
hæreticorum: Quòd
consecratio
significet
promissionem
futura
corporis
dum sumitur.

Refellitur.

4
2. Ratio.

Solutio
argumenti
positi
num. 2.

Sumptio
Eucharistiæ
non est
Sacramentum.

Quomodo
tamen
significet
&
causam
gratiæ.

6
Nec verba
Consecrationis,
nec
materia
consecranda
est
Sacramentum
Eucharistiæ.

Obiectio.

Panis & vinum sunt materia remota.

Respondet, Panis & vinum sunt materia remota & transiens respectu huius Sacramenti: verba autem consecrationis sunt forma, non qua intrinsecè hoc Sacramentum constet, sed qua conficiatur; id est, forma efficiens, non informans seu formaliter componens. Vnde Concilium signanter ait, *Sacramenta perfici rebus, & verbis*; non autem dicit *Constare*, nam etiam *Perficiuntur ministro*, qui tamen est extrinsecus.

Verba oblique pertinent ad essentiam Eucharistia.

Aduertendum tamen est, verba consecrationis, etsi intrinsecè non sint pars componens hoc Sacramentum, tamen in obliquo ad eius essentiam pertinere. Nam determinant significationem specierum ad significandam praesentiam corporis Christi ibidem latentis: si enim haec verba non essent prolata super has species, sed diuino miraculo sine signo sensibili fieret transsubstantiatio, non esset Sacramentum, saltem perfectum: quia nullum esset signum externum determinatè significans praesentiam corporis Christi. Itaque hac ratione pertinent verba consecrationis ad essentiam huius Sacramenti, dum determinant significationem specierum per se adaphoram. Neque ad hoc necesse est, vt verba maneat; quia sufficit ille ordo rationis, seu denominatio extrinseca, permanens in speciebus. Sicut in alijs signis videmus.

7 Eucharistia proprie est compositum ex corpore Christi & speciebus.

Dico Tertio, Sacramentum Eucharistia proprie esse illud compositum ex speciebus sensibilibus verborum Sacramentalium formulâ consecratis, & corpore sanguineque Domini inuisibiliter existentibus sub illis.

Sententia Soti.

Notandum est; Esse tres modos concipiendi hoc Sacramentum. Quidam enim putant, hoc Sacramentum proprie esse ipsas species, quatenus continent corpus Christi; ita vt species in recto, corpus Christi in obliquo sit de ratione huius Sacramenti. Ita Dominicus Soto dist. 8. quaest. 1. art. 1.

Sententia Thomae VVald.

Alij dicunt, Sacramentum hoc proprie esse corpus Christi in recto, & species solum contineri in obliquo; id est, esse corpus Christi vestitum speciebus. Ita sentire videtur Thomas Waldensis tomo 2. de Sacramentis cap. 2. 1.

8 Sententia D. Thomae Placet et probatur.

Alij verò dicunt Sacramentum hoc proprie esse compositum ex speciebus & corpore Christi: sicut homo est ipsum compositum ex anima & corpore; & Christus ex Deo & homine. Ita D. Tho. in 4. d. 8. q. 1. art. 1. Victoria q. 15. 2. Alanus lib. 1. de Eucharistia cap. 3. 4. 5. qui modus sine dubio est verior.

1. Ratio Ab Aucto. citate.

Probatur Primò, Quia Irenaeus lib. 4. contra haereses c. 34. expressè docet, Eucharistiam constare duabus rebus, terrena, & caelesti: per terrenam, intelligit species panis & vini; per caelestem, corpus Christi. Et Canon, *Hoc est*, de Consecratione. dist. 2. dicit Sacrificium Ecclesiae constare duobus, visibili scilicet elementorum specie, & inuisibili corpore & sanguine Domini: sicut Christi persona constat Deo & homine.

2. Ratio Ab vnione Specierum cum corpore Christi.

Alij quoque Patres, vt Iustinus, Ambrosius, Theodoretus comparant Eucharistiam cum Verbo incarnato: quod, sicut in Christo sunt duae naturae, ex quibus vnus est Christus; ita in hoc Sacramento sunt duae naturae, scilicet corpus Christi, & species externae; ex quibus, vnum constet Sacramentum.

Probatur Secundò, Quia inter corpus Christi & species interuenit aliqua vnio: nam ex illis fit

quid vnum: sicut ex speciebus, & substantia panis, in cuius locum corpus Christi successit, quid vnum fiebat; quamuis illa vnio sit sublimior. Atqui hoc vnum non est aliud, quàm hoc Sacramentum: neque enim aliud fingi potest. Et Confirmatur, Quia hoc compositum ex speciebus & corpore Domini est vnum signum efficax gratiae: ergo est vnum Sacramentum.

Probatur Tertio, Quia Sacramentum Eucharistiae absolute est adorandum adoratione laetitia, vt docet Concilium Tridentinum sess. 13. c. 5. & nos infra dicemus: ergo non solae species sunt Sacramentum Eucharistiae, sed necesse est vt Eucharistia includat corpus Domini. Paret consequentia: Quia alioqui nõ aliter adoraretur, quàm sicut sedes, aut vestis Christi, quae solum per accidens & secundum quid laetitia adorantur. Neque etiam solum corpus Christi est Eucharistia; quia Sacramentum directè debet esse res sensibilis. Cõuenientissimè ergo ponitur compositum ex speciebus & corpore Domini Sacramentum Eucharistiae: ratione enim specierum habet, quod sit Sacramentum, & signum sensibile; ratione corporis habet, quod sit adorabile, & adeo excellens.

Sed contra: Obijcitur Primò, Innocentius III. Capitulo *Cum Martha*, de Celebratione Missarum, dicit species esse Sacramentum tantum; corpus autem contentum, esse rem & Sacramentum: ergo corpus non includitur intrinsecè in ratione huius Sacramenti.

Respondet, Species dicuntur Sacramentum tantum, non quod ipsae per se, & solae sint totum Sacramentum Eucharistiae, sed quia ratio sensibilis signi ab ipsis accipitur, & corpori Christi quodammodo comunicatur; vnde per Synchdochen dicuntur Sacramentum tantum. Simili modo dici solet confessionem esse Sacramentum tantum; non tamè idcirco contritio excluditur ab intrinseca constitutione huius Sacramenti. Itaque, etsi corpus Christi latens sub speciebus secundum se spectatum, sit res & Sacramentum: tamen vt cõiunctum illis, & quodammodo informans, & sanctificans illas, constituit cum illis vnum completum Sacramentum.

Dices Secundò, Corpus Christi dicitur esse in Sacramento Eucharistiae: ergo est quid distinctum.

Respondet: Est distinctum, vt pars à toto: dicitur enim esse in Eucharistia vt pars in toto, vt anima in homine. Dici etiam potest Sacramentum tunc accipi pro signo externo tantum, vt dictum est.

Obijcitur Tertio, Si corpus Christi intrinsecè constituit hoc Sacramentum: vel constituit vt materia, vel vt forma, vel vt pars integralis. Atqui nihil horum videtur posse dici.

Respondet, Habere se quodammodo ad species, vt forma ad materiam: sicut Verbum se habet ad naturam humanam, tanquam forma. Ratio est; quia est nobilior speciebus; & est id, vnde hoc Sacramentum habet suam dignitatem, & vim efficiendi: sicut à speciebus sensibilibus habet significationem, & rationem signi sensibilis. Vnde D. Thomas ad 2. ait, Corpus Christi in hoc Sacramento esse loco virtutis operatiuae: quia ratione corporis, Sacramentum & ipsae species habent vim sanctificandi; sicut & corpus ratione diuinitatis; quae est primaria virtus operatiua in omni Sacramento. Quare sicut anima & caro

3. Ratio A cultu laetitia, quod Eucharistia adoratur.

9 Obiectio nes soluantur.

Explicatur dictum Innocentij, Species esse Sacramentum tantum.

Corpus Christi in Eucharistia se habet ad species, vt forma ad materiam.

vnus est homo, & sicut Deus & homo vnus est Christus; ita species & corpus Christi sunt vnum Sacramentum Eucharistia.

ARTICVLVS II.

Vtrum hoc Sacramentum sit vnum Sacramentum, an plura?

10
Est vnum
specie Sa-
cramentum

Responderur: Eucharistia, etsi constet duabus speciebus, est tamē vnum integrum Sacramentum, id est, vnum specie. Est communis sententia Theologorum. Ratio est: quia vtraque species ordinatur ad vnam perfectam refectionem spiritalem: vnde, sicut cibus & potus sunt vnum conuiuium, vna resectio corporis, sic Eucharistia sub vtrâque specie est vna resectio spiritus. Simili modo vtraque species requiritur ad rationem vnius perfecti sacrificij, vt infra dicitur.

Dices, Si vtraque species iuncta constituit vnum perfectum Sacramentum, & vnam refectionem: ergo is, qui solum alteram speciem sumit, non accipit perfectum Sacramentum, nec perfectam refectionem spiritalem.

Respondeo, Negando Consequentiam, si absolute loquamur: Quia, etsi illæ duæ species iunctæ constituant vnum perfectum conuiuium, & Sacramentum; tamen etiam quæuis species per se & seorsim quodammodo totam perfectionem Sacramenti continet, scilicet per concomitantiam.

11
Quomodo
sub vna
specie ha-
beamus in-
tegram Re-
fectionem
spiritualē.

Vnde licet quæuis species nō sit formaliter integra resectio spiritalis, est tamen integra per concomitantiam eius, quod sub altera continetur: nam species panis non tantum continet corpus Christi, quod est cibus spiritalis, sed etiam sanguinem, qui est potus spiritalis, quamuis non ex vi consecrationis, sed per concomitantiam.

Vnde licet corpus Christi cum specie panis nō sit, nisi parziale Sacramentum formaliter, est tamē integrum per concomitantiam.

ARTICVLVS III.

Vtrum Eucharistia sit de necessitate salutis?

12
Respondet D. Thomas Primò; Rem Sacramenti huius esse de necessitate salutis: quia res huius Sacramenti est vnio cum Christo & corpore eius Ecclesia per Charitatem; quæ vnio est ad salutem necessaria. Intelligi in genere, licet non vt effectus huius Sacramenti. Secundò, Ipsum Sacramentum Eucharistia non esse necessarium in re: esse tamen necessarium in voto, quod includitur in baptismo.

D V B I V M.

*Vtrum verè Eucharistia sit medium ad salutem necessarium in re vel in voto, sicut baptis-
mus omnibus est necessarius, & pœnitentia
relapsis?*

13
Opinio af-
ferens, eius-
que funda-
mentum.

Quidam ita censent, ob locum Ioan. 6. v. 53. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. & ob quædam loca D. Augustini; vt lib. 1. contra

duas epistolas Pelagianorum, cap. 22. Nec illud cogitatis, eos habere vitam non posse qui fuerint expertes corporis & sanguinis Christi; dicente ipso; nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. qui locus mendose citatur apud D. Thomam ex Gratiano. Simili modo loquitur Innocentius I. epist. ad Conciliū Mileuitanum, quæ est 93. inter epistolas Augustini. Imò quidam exultant Eucharistiam esse causam vniuersalem, quæ operetur in omnibus, & per omnia Sacramenta. Verum

Dico Primò, Eucharistia in re, non est necessarium medium ad salutem, neque paruulis, neque adultis.

14
Eucharistia
in re, non
est necess.
rium n. etiā
ad salutem.

De Paruulis est fide tenendum; vt patet ex Concilio Trident. sess. 21. can. 4. Si quis dixerit, paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistia communionem, anathema sit. Ratio est: quia baptisimus tollit omne peccatum, confert gratiam, & facit Filium Dei, & consequenter heredem regni.

De Adultis Probat: Quia Eucharistia est alimentum anime; atqui alimentum supponit vitam in eo, qui alitur: atqui, qui habet vitam gratiæ, hoc ipso est dignus vitæ æternæ: ergo Eucharistia non est necessaria necessitate medij: cum sine illa salus haberi possit.

Dices, Eucharistia ordinatur ad vnionem mysticam membrorum in vno corpore, quod est Ecclesia: atqui sine hac vnione non potest esse salus: ergo Eucharistia est medium saluti necessarium.

Respondeo, Vnio corporis mystici non est effectus solius Eucharistia, sed omnium Sacramentorum. Nam hæc vnio interius quidem fit per fidem & charitatem, quæ ab omnibus Sacramentis conferuntur; vel augentur: exterius autem fit per Sacramentorum vsum, & aliam externam fidei professionem: hinc D. August. lib. 19. contra Faustum cap. 11. ait, Sacramentorum consortio Ecclesiam in vnum corpus colligari. Vnde hæc vnio, per baptismum inchoatur, quantum satis est, vt homo saluus esse possit. Tribuitur tamen peculiariter Eucharistia: Primò, quia per Eucharistiam perficitur; hæc enim maximè charitatem auget. Secundò, quia per Eucharistiam Ecclesiæ membra non tantum vniuntur in charitate & externo symbolo, sed etiam in vno corpore, & in vno sanguine Domini, qui singulis realiter coniungitur, & miscetur. Vnde Apost. 1. ad Corinth. 10. v. 17. Vnus panis & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus.

Cur Vnio
mystica per
Charitatem
speciatim
tribuitur
Eucharistia.

Dico Secundò, Eucharistia in voto non est medium absolute necessarium ad salutem, siue paruulis, siue adultis.

15
Neque etiā
in voto est
ad salutē ab-
solute ne-
cessaria.

Est certa, De Paruulis probatur, quia non sunt capaces voti Eucharistia, si propriè velimus loqui, & non ludere metaphoris: votum enim est desiderium; quod non est nisi vtentium ratione. Si dicas, hoc votum includi in baptismo: hoc nihil est aliud, quàm dicere baptismum eis esse necessarium: quod libenter fatemur.

De adultis probatur: Quia nullus est effectus Eucharistia necessarius ad salutem, qui non possit etiam alijs medijs ab adultis obtineri: ergo non est medium necessarium. Medium enim necessarium dicitur, quod confert aliquem effectum necessarium qui aliter haberi nequit. Antecedens patet: quia vnio